

# PARERGA.

## I.

**U**Ti Juramenta non intelliguntur, nisi præsupponatur simplex aliqua promissio, saltem tacita, quæ suam inde certitudinem consequitur; ita verbum nullum, nulla simplex dictio, certam intellectui auscultanti notionem gignit, nisi cum aliâ vel aliis contexatur.

## II.

Quisque tenetur, quoad nudam intelligentiam, accipere verbum aut phrasin in eâ significatione, quam enunciâns aut expresse prius definivit, aut ex contextu, secundum consuetum eorum qui de tali materia tractant, loquendi modum, facile colligendam quasi tacite supposuit. Quod si minus commodam aliis significationem voci s. phrasi positæ sic imposuit, accusari potest in judicio grammaticali, non in logico, multò minus in morali, nisi prohibita sit Phrasis, quod scandalum eâ præbeatur in civitate.

## III.

Cardinales animi virtutes, mediocritatem, i. e. debitam quantitatem in cognitione vel acquirendâ vel adhibendâ præscribentes apud Latinos congruo nomine, an & exercitio? carent. Germanis altera die *Vernwilligkeit* / daß man sich gern weissen läßt; altera die *Bedachtsamkeit* / das man bedachtsam in Anbringung der Wissenschaft verfähret / appellari posse videtur. Qui commodiora vocabula invenerit, quæso nobis communicet.



Coll. diss. A. 232. misc. 24